

Ex quo fit, ut in maximos errores, inque vitium Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur: quia nimirum causas, & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant; quas bene percipere nemo potest, nisi ideam, & imaginem antiquæ discipline in mente habeat. Ex quibus doctissimi Cardinalis verbis perspicuum est, eos vehementer decipi, qui antiquam Ecclesiæ erga lapsos disciplinam conferant cum hodierna, quæ progressu temporis remissa est, & mollior, solutiorque evasit, quamvis Ecclesiæ nihil tam in votis habeat, suamque omnem, quantum fieri potest, det operam, ut callapsa disciplina restauret, & Christianorum mores in melius emendantur.

D. Fueruntne in tertio Ecclesiæ sæculo alia celebrata Concilia, præter ea, quæ hæcenus enumerasti.

M. Contra Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum, qui Verbi divinitatem inficiabatur, duo Antiochiæ coacta sunt Concilia, quorum primo, quod fuit indictum anno Christi 264. interfuerunt Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ Episcopus, ejus frater Athenodorus Episcopus Ponti, Hymeneus Hierosolymorum, Nicomas Iconii, Helenus Tarvensis Episcopus, Theoretus Cæsareæ in Palæstina, & alii magni nominis Præsules. Ad illud Concilium Dionysius Alexandrinus invitatus est, sed cum ob gravem ætatem venire haud potuisset, epistolam misit, qua suam de Paulo Samosateno, ejusque errore sententiam aperiebat, & sicut scribit Eusebius libr. 7. Histor. Ecclesiast. capit. 30. Erroris Ducem, videlicet Paulum Samosatenum, ne salutatione quidem dignatus, neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochenam Ecclesiam suas litteras direxit. Paulus Samosatenus, postquam in isto Concilio palam pollicitus fuisset, se mutaturum sententiam, deceptis per simulationem Firmiliano, qui præerat huic Concilio, aliisque Episcopis, indemnis abscessit. Sed datam fidem cum violasset vaserrimus ille Hæresiarcha, erroremque suum, quem fuco patribus facta, data opera occultaverat, & tantum non ejurare visus fuerat, obstinato animo tueretur, altera Antiochiæ celebrata est Synodus anno Christi 265. vel, ut alii volunt, 270. ad quam LXX. Episcopi, teste S. Athanasio in libr. de Synodis, convenere, quibus iterum illudere conatus Paulus Samosatenus, a Malchione Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero fuit Hæreseos convictus, & Episcopatu abdicatus, suscepto in ejus locum Domino, sicut videre est in epistola Synodica, quam Patres istius secundi Antiocheni Concilii ad Dionysium Roman. Pontificem direxerunt, in qua, postquam præmiserunt, Paulum Samosatenum fuisse omnium calculis damnatum, & ab ipsis Anathemate percussum, eoque Arteme, seu Artemonis Christum nudum hominem esse, & ante Mariam Virginem non fuisse effluentis Hæresim recoxisset, illiusque superbiam, fastum, atque dissolutos mores graphicè descriperunt: Subdunt deinde, Domnum, amoto Paulo Samosateno, in Sedem Antiochenam

fuisse subrogatum, adeoque ad illum, tanquam ad verum, & legitimum Sedis Antiochenæ Episcopum litteras suas communicatorias deinceps Romanum Pontificem mittere debere. Verum, quamvis Paulus Samosatenus Sede sua Episcopali fuisset in hac secunda Antiochena Synodo turbatus, nihilofecius munus patrocinio Zenobia Palmyrenorum Regina, quæ maxima in Civitate Antiochena auctoritate pollebat, e Domno Episcopali egredi, Domnoque cedere loco noluit, donec tandem Aurelianus Ethnicus Imperator Antiochia potitus, & a Catholicis Episcopis interpellatus, Domum Episcopalem huic adjudicandam edixit, cui Episcopus Romanus scriberet concedendam. Quocirca expulso Paulo Samosateno admissus est Domnus legitimus possessor. Sancti Patres Athanasius, Basilus, & Hilarius tradunt, hanc vocem *δυναστωρ*, quod idem sonat ac consubstantialis, fuisse proscriptam a patribus secundæ Synodi Antiochenæ ob perversum, & plane Hæreticum sensum, quem huic voci perperam asfingebat Paulus Samosatenus. Hanc tamen vocem *δυναστωρ* Patres Concilii primi Nicæni in suo genuino sensu acceptam consecrarunt, & symbolo inseruerunt, tanquam resseram Fidei Christianæ ad profigendam perfidiam Arii negantis Verbum divinum esse cum Patre Eterno consubstantiale. Idem Concilium sanxit Canone 19. ut Paulianista, idest, discipuli Pauli Samosateni, qui ejurata Hæresi ad Ecclesiam revertebantur, iterato Baptismo lustrarentur, eoque consuetam Baptismi formam data opera interpolarent, & in eam suam invehent errorem, quo, cum Hæresiarcha Sabellio, Trinitatem Divinarum Personarum e medio tollebant, unamque tantum Divinam Personam assererent.

Præter duas illas Synodos Antiochenas, quæ adversus Paulum Samosatenum celebratæ fuerunt, aliam Baronius ad annum Christi 265. ait a Dionysio Romano Pontifice convocatam esse ad damnandos errores illius Hæresiarchæ, & ad asserendum Verbi Divini consubstantialitatem. At clarissimus Pagius in sua Critica ad annum Christi 264. censet Synodum illam Romanam in causa Pauli Samosateni supposititiam esse, nec unquam fuisse celebratam. Hæc sunt in summa omnia Concilia, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis ad dirimendas controversias, quæ circa fidem, vel disciplinam emerferunt, diversis in locis fuerunt coacta. Quapropter præsentis Colloquii finem imponamus, aliud proximo die habituri, cujus argumentum erit de Viris Illustribus, qui tam eximia doctrina, quam singulari pietate in tribus primis Ecclesiæ sæculis floruerunt. (a)

„ (a) Adversus Origenem pariter tertio hoc sæculo Concilia quædam convenerunt auctore Demetrio Episcopo Alexandrino. Cum enim Origenes contra jus & fas a Theocristo Hierosolymorum, & Alexandro Cæsareæ Episcopis sacerdos consecratus fuisset, Demetrius in Synodo de Episcopis illis conquestus, pellendum illum Alexandria, prohibendumque ne deinceps doceret, judicavit. Dein altera „ coacta

„ coacta Synodo cum Episcopis aliquot Ægypti sacerdotio illum privavit, quin & in Synodo Romana eundem damnatum exculpit Harduinus ex verbis illis Rufini in *Hieron. lib. 2. in damnationem ejus consentit urbs Roma.*

D. Id genus argumenti perplacet mihi. Quid enim, amabo, jucundius, quam memoria tenere dicta, facta, exempla & Opera SS. Patrum, virorumque illustrium, qui omnem suam curam, industriam, laborem & ingenii perspicaciam ad Ecclesiæ splendorem, gloriam & incrementum contulerunt, atque mirabili vitæ sanctimonia toti Orbi Christiano præfulserunt.

COLLOQUIUM VI.

De Viris Illustribus, qui in tribus primis sæculis Ecclesiam doctrina, & pietate illustrarunt.

D. Protulitne prima Christianorum ætas eruditos Scriptores, qui Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, & extantne etiamnum germana ab illis edita Opera, in quibus appareat quodnum fuerit illorum ingenium, quæ studia, quæ occupationes?

M. Quamvis certum sit, plures in primo Ecclesiæ sæculo clarissimos extitisse Scriptores, qui varia ediderunt Opuscula, Epistolas, Tractatus: fatendum tamen est, bene multa ex pretiosis illis illustrium hominum monumentis (si excipias omnes Novi Fœderis libros, quos hoc sæculo scriptos singulari divinæ providentiæ beneficio adhuc integros, ac illibatos conservamus) penitus interiisse. Quo fit, ut paucissima modo residua sint Patrum primi sæculi Opera, quæ eo pluris æstimanda sunt, quo majorem iidem Patres & merito suo, & sua cum Christo, & Apostolis consuetudine, ac familiaritate sibi auctoritatem conciliarent. Porro inter illos primi sæculi Scriptores, alii libros ediderunt ad demonstrandam Christianæ Religionis veritatem, & ad probandum contra Judæos Jesum Christum esse verum Messiam, verum Deum, & in eo fuisse adamussim completa omnium Prophetarum Oracula, ac proinde Moysis legem, cæremonias & sacrificia ab eo rescissa, & abrogata fuisse. Alii, Infidelibus, & Idolorum cultoribus persuasum ibant, plures Deos, quales a Diabolo delusa admittebat supersticiosa Gentilitas, omnino impossibiles esse, unumque tantummodo existere cæli & terræ, rerumque omnium conditorem. Alii, libros concinnabant, ut eos, qui Christianæ Religionis mysteriis recens erant initiati, salutaribus novæ legis erudirent, atque informarent præceptis. Scripserunt alii virtute, & merito præstantiorum id ætatis Christianorum historiam, itinera, pericula, labores, certamina, passionem, supplicia & omnia Martyrii eorum Acta. Alii, Statuta, Canones ab Apostolis, eorumque successoribus ad doctrinæ explicationem, morumque instructionem sancita scriptis tradiderunt. Alii, Epistolis suis Christianos accenderunt ad imminentes tyrannorum persecutiones æquis animis tolerandas. Alii,

denique, in gliscentes abusus, in nascentes Hæreses, falsasque pullulantes doctrinas stylium, calamumque acuerunt. In his potissimum tractandis argumentis tempus, operamque suam in rem Ecclesiæ locabant Scriptores primi sæculi, quorum tamen, prohi dolor! multa opera temporis rerum omnia edacis injuria, perierunt, & ad nos usque non pervenerunt.

D. Certe vehementer doleo tam gravem jacturam pretiosorum monumentorum, quæ, tanquam primis avitæ doctrinæ canalibus efficacius revinci possent Christianæ Religionis hostes. Ast quoniam nonnulla, ut præmonuisti, supersunt adhuc aurei illius Ecclesiæ sæculi monumenta, quæ nobis non inviderunt fata, rogo te ut juxta severiores Criterii Regulas germana Opera Patrum primi sæculi, quorum sudore, & sanguine parta nobis, & quasi per manus Religio tradita est, discernas a spuris, & supposititiis, quæ circumferuntur, illisque, ut audivi, falso adjudicantur.

M. Ad secernenda genuina veterum Scriptorum Opera ab his quæ adulterina sunt, plurimum juvant doctissimæ lucubrationes editæ a clarissimis hujus ætatis viris, qui Critices disciplinæ bono nati ad edenda, & illustranda veterum Patrum scripta, & e tenebris educenda quæcumque antiquorum monumenta diu, multumque maximo Republicæ Christianæ emolumento insudarunt. Ex his ergo eruditis lucubrationibus, ut tuæ utilitati consulam, pauca delibabo, ac summam perstringam, quæ ad pervestiganda genuina Opera Patrum, qui in tribus primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, tibi impræsentiarum sat superque sufficere poterunt. De libris tamen, Actis, Liturgiis, & Epistolis, quæ falso Apostolis tribuuntur, non disseram, ne actum agere videar, cum in Tractatu, quem de Sacra Scriptura edidi, plura hoc de argumento dixerim, quæ hic repetere supervacaneum omnino esset. Ordior autem ab examine Operum, quæ tribuuntur Patribus primi sæculi, quales sunt, *Hermas*, *Clemens Romanus Pontifex*, *S. Marialis*, *S. Polycarpus*, *Acta passionis S. Andreæ* ab Achazæ Presbyteris conscripta, *S. Dionysius Areopagita*, *S. Ignatius Martyr*, & *Papias Hierapolitanus Episcopus*.

In primis *Hermas*, qui fuit Apostoli Pauli Discipulus, auctor est Operis *Pastoris*, quod tribus constat libris. Primus, quatuor visiones complectitur. Secundus, duodecim mandata continet. Tertius, similitudines decem exhibet. Nonnulli antiqui Patres, quos inter censetur *S. Ireneus* libr. 4. adversus Hæreses cap. 37. & *S. Clemens Alexandrinus* libr. 1. Stromatum, tanti fecerunt hoc *Pastoris* Opus ab *Hermas* editum, ut illud tanquam sacrum divinæ Scripturæ Codicem laudaverint; quibus tamen hac in re assentiri minime debemus, tum quia nobilissimi Scriptores, videlicet *Athanasius* in libr. de Decretis Synodi Nicenæ, *Eusebius* libr. 3. Hist. Eccles. cap. 25. *Hieronymus* in Prologo Galeato, *Rufinus* in expositione Symboli, *Auctor Sicomæria* in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani editæ, hunc librum *Pastoris* extra Canonem Scripturæ Sacra

cræ jure ac merito ablegant; tum quia etiam Gelasius Papa in Concilio septuaginta Episcoporum Romæ habito anno Christi 494. prædictum Pastoris librum post maturum, ac diurnum examen, Apocryphorum Operum numero accensuit, non quod eum noxia doctrina infectum, aut suppositivum esse existimaret, sed quod extra Scripturæ Sacræ Canonem esset collocandus. Cæterum, quamvis hic liber Pastoris Sacra, & Canonica non polleat auctoritate, negari tamen haud potest eum utilissimum esse, non solum quia, teste Eusebio loco mox laudato, Patres antiquitate, & doctrina celeberrimi maximis eum extulere laudibus, & Sanctissimi Præsules voluerunt publice in Ecclesiis legi, atque in omnium versari manibus; verum etiam, quia Auctor illius operis totus in id incumbit, ut homines ad agendam peccatorum poenitentiam, ad amorem, & exercitium virtutum, ad persecutiones tyrannorum jam jam in primis Ecclesiæ temporibus imminentes patientissime tolerandas vehementer adhortetur, atque accendat; mendacium & adulterium fugiendum moneat, ea, quæ virtutibus adversantur, prohibeat, & quæ Fidei sunt fundamenta, atque capita amplectenda proponat. Quæ omnia quantæ utilitatis Christianis esse possint, nemo est qui non videat. Quocirca, merito castiganda est temeritas quorundam recentiorum Scriptorum, qui ad carpenda aliena opera prompti, hunc Pastoris librum elato supercilio aspernantur, fastidiunt, & tanquam Novatianorum, Pelagianorum, & Montanistarum Hæresibus oppletum, neenon fabulis, & ineptis, anilibusque visionibus infartum omnino repudiant. Sed hanc intemperantioris Critices hominum præposteram dubitationem tam solidis argumentis confutarunt doctissimi Auctores *Natalis Alexander* sæcul. 1. Hist. Eccles. & *Nicolaus le Nouvry* dissert. 4. Apparatus ad Biblioth. max. PP. ut ad illius Operis Pastoris vindicias nihil a viris doctis desiderari possit. Hic liber Pastoris extat tom. 5. Bibliot. Patrum Editionis Parisiensis. Ipsum etiam edidit, notisque doctissimis illustravit clarissimus vir *Johannes Baptista Corelerius* inter opera Patrum, qui Apostolorum temporibus floruerunt.

Expendamus nunc scripta, quæ circumferuntur sub nomine Clementis, qui, juxta Seriem Chronologicam Romanorum Pontificum, quam in secundo Colloquio tibi exhibui, tertio post S. Petrum rexit Ecclesiam. Huic autem Romano Pontifici, cujus meminuit Apostolus Paulus cap. 4. epist. ad Philippenses, præter epistolam primam ad Corinthios ab ipso scriptam, quam una cum fragmento secundæ ad eisdem epistolæ publici juris fecit *Patricius Junius* ex Bibliotheca Magnæ Britannicæ Regis anno 1633. tribuuntur aliæ Epistolæ, & decem libri recognitionum ad *Jacobum* fratrem Domini. Quid vero de his scriptis, quæ Clementis nomine insigniuntur, statuendum sit, hic juxta peritiorum Critices disciplinæ judicium paucis indicabo. Primam Epistolam, quæ directa est ad Corinthios, Opus esse S. Clementis Romani Pontificis legitimum, concors est omnium Criticorum sententia, non solum quia hæc in epistola apparent

venerandæ antiquitatis notæ, sed etiam quia veteres Scriptores multa ex illa epistola, quæ Clementis nomen præfert, testimonia citarunt, quæ in ea, quam nunc habemus, totidem verbis leguntur. Consuli possunt *S. Irenæus* lib. 2. adversus Hæreses cap. 7. *Origenes* lib. de Principiis cap. 3. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum pag. 289. *Eusebius* lib. 2. Hist. Eccles. cap. 16. *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccles. in Clemente, *Photius* in Biblioth. Cod. 113. & alii multi antiqui Patres, qui hanc primam S. Clementis epistolam sæpius laudarunt, eamque ut germanam ipsius prolem agnoverunt. Hæc prima S. Clementis ad Corinthios Epistola reperitur in Tomo 1. Conciliorum Editionis Parisiensis Anno 1671.

Alteram vero Epistolam ad Corinthios, quæ sub ejusdem Clementis nomine prostat, & cujus tantummodo fragmenta habemus latina, interprete *Vendelino*, & cum Græco rursus excusa tom. 1. Conciliorum, non ita fuit a primis Ecclesiæ Scriptoribus approbata, ac celebrata, sicut prior ejusdem S. Clementis ad Corinthios epistola. Hinc est, quod alii Critici post Baronium hanc secundam epistolam ab antiquis Patribus velut spuriam reprobantam esse, ac subinde Clementi Papæ adjudicari non debere contendunt: alii e diverso Critici, quorum judicio lubens subscribo, asserunt hanc secundam ad Corinthios epistolam, perinde ac priorem esse S. Clementis factam, maxime cum *Photius* studiosissimus antiquitatis indagator utramque ad Corinthios epistolam asserat S. Clementi Cod. CXXVI. & hoc de ista secunda epistola præferat judicium, quod videlicet salutaria documenta, Institutionem, admonitionemque melioris vite continet. Præter duas illas Clementis Papæ ad Corinthios epistolæ, aliæ quinque ei tribuuntur Epistolæ Decretales, quarum duæ priores datæ sunt ad *Jacobum* fratrem Domini. Tertia, ad omnes Episcopos, Presbyteros, & Fideles. Quarta, ad *Julianum*, & *Julianum*. Quinta, ad *Hierosolymitanos*. Sed duas priores epistolæ, quæ ad *Jacobum* fratrem Domini sunt directæ, non fuisse a S. Clemente conscriptas facile colligitur ex tempore, quo fuerunt exarata, hoc est, post obitum S. Petri. Quis autem, nisi in Historia Ecclesiastica peregrinus & hospes omnino sit, nesciat S. Jacobum fuisse Hierosolymis occisum anno septimo Neronis Imperatoris, ac proinde ante obitum S. Petri, qui, ut in secundo Colloquio observavimus, anno dumtaxat duodecimo Neronis fuit Romæ martyrio coronatus? Nullo igitur pacto fieri potuit, ut duas priores istas Epistolæ post S. Petri obitum conscripserit S. Clemens direxerit ad *Jacobum* fratrem Domini. Tres alias sequentes epistolæ suppositivæ esse, & falso Clementi adscriptas probant eruditi Critici ex stylo, quo ejusmodi epistolæ sunt descriptæ, qui plane dissimilis est stylo geminæ epistolæ Clementis ad Corinthios. Quamobrem quinque illas Clementis epistolæ Decretales, non secus ac alias ejusdem farinae, quæ a Clemente usque ad *Siricium* Papam veteribus Romanis Pontificibus perperam tribuuntur, ex *Isidori* Mercatoris Officina prodisse autumant viri eruditi multis adducti rationibus, quas in secundo Colloquio expendimus (a).

Ad

(a) Postremis hisce annis opera *Wetstenii* in tom. 11. Novi Testamenti Græci, e codice Syriaco vulgatæ sunt geminæ S. Clementis epistolæ encyclicæ ad omnes fratres & sorores, quibus castitatem perpetuo insinuat, ejusque editoris judicio sinceræ habendæ sunt. Verum in tanto antiquorum silentio vix est, ut non apocryphæ cenferantur. Difficile est enim creditu Hieronymum, qui alioquin geminas Clementis Epistolæ commemorat, de illis, si nosset, omnino siluisse. Censet autem idem *Wetstenius* Patres nonnullos easdem epistolæ non ignorasse, cum apud S. Epiphanium hæresis XXX. legantur tanquam ex Clemente laudes Eliæ, Davidis, & Sampsonis, quæ, sicut in editis non apparent, ita in epistolis *Wetstenii* sese offerunt. Sed facile est eas quoque laudes offerri in secunda epistola ad Corinthios, cujus nonnulla fragmenta vulgata sunt.

Ad eandem S. Clementis Operum Apocryphorum classem ablegant viri eruditi Constitutiones Apostolorum nomine inscriptas, & octo libris comprehensas, quas *Carolus Bovius* Ostunensis Episcopus anno 1563. in lucem emisit, e Græco in latinum sermonem a se translata, quas etiam postea *Turrianus* latine interpretatus est, & notis illustravit, easque *Labbeus* in novissima Conciliorum editione a se adornata, Francisco *Turriano* Interprete, ac libros 8. adjuncto textu Græco, exhibuit. Harum, inquam, Constitutionum Apostolicarum auctor non est *Clemens Romanus* Pontifex, tum quia *Eusebius*, & *Hieronymus*, cum de scriptis S. Clementis agunt, octo libros Constitutionum illarum Apostolicarum ei minime tribuunt; tum quia etiam *Humbertus* Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ, Leonis apud Constantinopolim Legatus, *Nicetas Pogorato* quædam loca Constitutionum Apostolicarum contra Sabbati jejuniū obicientis his verbis respondit: *Hoc asserere conaris ex Apocryphis libris, & Canonibus patri sententia Sanctorum Patrum repudiatis*; tum quia denique, in his Constitutionibus Apostolicis multa veritati dissona offenduntur, & Hæreticorum Baptisma invalidum, ac proinde iterandum declaratur, sicut videre est lib. 6. cap. 15.

Recognitionum libri 10. ad *Jacobum* fratrem Domini non minus suppositivi sunt, & Clementi falso adscripti, quam Constitutionum Apostolicarum libri octo. Illos siquidem decem recognitionum libros velut Apocryphos explodunt, Clementique suppositos asserunt *Eusebius* lib. 2. Hist. Eccles. cap. 38. *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Clemente, *Epiphanius* Hæresis XXX. quæ est *Ebionitarum*, *Photius* in Bibliotheca Codice 113. & alii, qui Opera Clementis Romani Pontificis Criticum ad examen vocarunt. Præterea, multa in hisce libris recognitionum, sicut optime advertit doctissimus noster *Sixtus Senensis*, reperiuntur incerta, fabulosa, nonnulla Catholicis dogmatibus contraria, complura etiam sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis & Aristotelis philosophia referuntur, quæ a S. Petro prolata esse nulla ratione fit verosimile. Postremo, illud recognitionum Opus idem plane est ac illud *Græves. Hist. Tom. 1.*

quod vulgo *Itinerarium S. Petri* dicitur, quodque *Gelasius* Summus Pontifex in Concilio LXX. Episcoporum Romæ in suo Decreto Apocryphum esse declaravit. Hoc igitur Recognitionum Opus S. Clementem non habet parentem. Idemque judicium ferendum est de *Homiliis undeviginti* nomine Clementis inscriptis, de *Canonibus Apostolorum* Græce compositis, & de *Liturgia* ei adscripta, quam *Bessurio* Cardinalis in libro de Sacramento Eucharistiæ, inter Apocrypha commemorari solet, scribit.

D. Nunc genuina S. Clementis Opera a spuris fecernere probe scio. Velim modo indices mihi Opera, quæ in primo Ecclesiæ sæculo ediderunt S. *Martialis*, & S. *Polycarpus*, paucique exponas, an Acta de passione S. *Andræ* ab *Achazæ*, ut dixisti, Presbyteris conscripta, genuina sint, aut suppositiva?

M. S. *Martialis*, qui fuit unus ex LXX. Christi Discipulis, in Gallias missus in primo Ecclesiæ sæculo, ubi Lemovicensem fundavit Ecclesiam, duæ tribuuntur epistolæ, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis. Prima epistola ad omnes *Burdigalensis* Ecclesiæ Christianos directa est. Altera, quæ priore longe prolixior est, ad *Tolosanos* data est. Hæc autem duæ epistolæ, sicut testatur *Gaufredus Gausius*, in scriptis, seu tabulario Ecclesiæ Lemovicensis sæculo XI. repertæ sunt, sed in vulgus tantum typis excusæ prodierunt anno 1521. & deinceps repetitis editionibus publicatæ sunt Venetiis anno 1546. Basileæ annis 1550. & 1569. Colonia Agrippinæ 1570. Parisiis 1562. 1576. 1589. 1610. Hamburgi cum notis *Elmenhorstii* ann. 1614. Item cum Operibus *Abdiæ* Babylonii ann. 1571. & 1614. Denique in *Orthodoxographia*, & in omnibus Patrum Bibliothecis insertæ sunt. Porro, auctorem illarum duarum epistolarum non esse Sanctum *Martialem* docent omnes periti Critici hisce adducti rationibus; primo, quia auctor istarum epistolarum nomen *Martialis Cephæ*, & titulum Apostoli sibi arrogat, asseritque se miraculorum Christi, & prodigionis Judæ oculatum testem fuisse. Quæ omnia S. *Martialis*, qui fuit unus ex LXX. Christi Discipulis, nullo pacto convenire possunt. Constat siquidem, S. *Martialem* in numerum XII. Apostolorum nunquam fuisse cooptatum, ac subinde credibile non est, S. *Martialem* in epistolis suis nomen Apostoli sibi adsciscere voluisse, quod XII. tantum Apostolis a Christo Domino inditum ignorare haud poterat. Fatentur etiam post S. *Hieronymum* in cap. 2. epist. ad Galatas viri eruditi, neminem, præter Apostolum Petrum, cognomine *Cephæ* fuisse nuncupatum. Quorsum igitur hoc nomen *Cephæ* in his epistolis sibi tribuisset S. *Martialis*? Nunquam autem ex Historia Evangelica, nec ex ullo antiquitatis monumento probari poterit, S. *Martialem* præsentem fuisse, quando Judæ proditori Christus Dominus osculum porrexit. Immo, omnes Evangelistæ memoriæ prodiderunt, litterisque consignarunt, Christum cum suis tantum duodecim Apostolis in horto extitisse, ubi Judam osculo excepit. Non igitur sibi constant ea, quæ vana ostentatione de se jactat geminæ epistolæ Scriptor. Præterea, in epistola ad *Tolosanos* narrat auctor, *Stephanum*, quem

D

quem Gallorum Regem fuisse dicitur, ad fidem a se esse adductum, quod tamen oppido falsum est, & a prophanae historiae veritate prorsus alienum. Temporibus siquidem S. Martialis nulli erant in Galliis Reges, sed ibi imperabant Romani, qui summa in toto Orbe rerum potiebantur. Denique, auctor illarum epistolarum, quisquis ille sit, vulgata Scripturae Sacrae versione latina a Sancto Hieronymo in quinto dumtaxat saeculo elucubrata aliquando utitur, quod utique evidens argumentum est, praedictas epistolas a S. Martiali, qui in primo Ecclesiae saeculo florebat, editas non fuisse, sed ab auctore longe posteriori. Unde non mirum, si antiqui priorum Ecclesiae saeculorum Patres ejusmodi epistolas alto silentio praetermiserint, quas tamen omni procul dubio non praetermiserint, si revera S. Martialem Auctorem habuissent.

Joannes Baptista Cotelierius inter Opera Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, inseruit epistolam S. Polycarpi Smyrnenis Episcopi ad Philippenses datam, quam ab illo S. Episcopo, & Martyre fuisse exaratam colligunt perdocti Critici non solum ex ipsius stylo, ingenio, aliisque antiquitatis notis, & characteribus, qui in ea reperiuntur, sed etiam ex locupletissimis testimoniis veterum Scriptorum, qui sunt probatissimae fidei, & omni exceptione majores, quales sunt S. Irenaeus lib. 3. adversus Haereses cap. 3. Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 36. & lib. 4. cap. 15. & S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quibus adjungi possunt Pothus, Maximus, Theodoretus, ceterique, qui de S. Polycarpi scriptis nobis deinceps aliquid tradiderunt. Hi siquidem omnes hanc epistolam S. Polycarpo adjudicant. Frustra igitur Dailleus Calvinisticae Sectae Pseudo-Minister hanc epistolam, quam suis erroribus non favere sentiebat, inutilibus conjecturis in dubium revocat, quas nullo negotio exufflarunt Catholici Doctores, quos inter legis eruditum patrem Nicolaum le Nourry dissertatione 8. Apparatus ad Bibliothecam maximam veterum Patrum. Exstat haec S. Polycarpi epistola ad Philippenses graece, & latine in editione Petri Halloix Duaci ann. 1633. cum versione Jacobi Usserii Oxon. ann. 1544.

Quod spectat Acta passionis S. Andreae ab Achajae Presbyteris conscripta, fatentur quidem periti Critici ea non tot habere certa veritatis, & antiquitatis argumenta, quot habet S. Polycarpi Epistola; illa tamen genuina esse, auctoritate Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui septingentis abhinc annis ad haec usque tempora floruerunt, evincunt contra Heterodoxos Criticos, qui hoc monumentum Orthodoxis eripere moliantur, quod in eo realis Corporis Christi in Augustissimo Altaris Sacramento praesentia luculentis hisce verbis stabilatur: *Ego Omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem, postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus.*

D. Interfui nuperrime numero Theologorum coetu, quorum alii multa proferebant scripta,

quae S. Dionysio Areopagita tribuenda esse magnis animis asserabant, alii vero mordicus contendeant, haec scripta alium quam Dionysium Areopagitam habere Auctorem. Vehementer igitur optarem scire, num horum Auctor Scriptorum is vere sit Dionysius Areopagita a Paulo Apostolo ad Christianam fidem adductus, ejusque postea discipulus, an alius, qui ementito tanti viri nomine scriptis suis auctoritatem conciliare voluerit?

M. Quamvis haec controversia, quam proponis, fuerit tanta diligentia, tamque acri studio, hisce praesertim temporibus, discussa, ac ventilata, ut vix alia sit, in qua examinanda Critici majorem curam, ac sedulitatem adhibuisse videantur; fatendum tamen est, eam nondum plene esse finitam, adeoque illam adhuc sub Judice esse. Quapropter ipse virum mearum probe conscius, etsi meum in tam lubrica disceptatione, quae peritorum torset animos, nolim interponere iudicium, & utriusque partis rationes aequa lance ponderare; breviter tamen votis tuis ut faciam satis, referam Opera, quae vulgo S. Dionysio Areopagita ascribuntur, & deinde adductis opinionibus, in quas Critici in examine illorum Operum scinduntur, eam, quae mihi magis probatur, indicabo; tuo tamen permittens arbitrio illius, quam volueris, opinionis delectum. Primus itaque liber Dionysii Areopagita nomine inscriptus praefert titulum *de Coelesti Hierarchia*. Alter, *de Ecclesiastica Hierarchia*. Tertius, *de Divinis Nominibus*. Quartus, *de Mystica Theologia*. Decem insuper Epistolae Dionysii nomine insigniuntur, quarum quatuor priores ad Cajum datae brevissimae sunt. Quinta, ad Dorotheum missa est. Sexta, ad Sospitarem Presbyterum scripta, quae omnium brevissima est. Septima, ad Polycarpum directa est. Octava, ad Demophilum Monachum. Nona, ad Titum Episcopum data. Decima, ad Joannem Evangelistam in Insula Patmos, exulantem scripta est. Haec sunt Opera, quae S. Dionysio Areopagita vulgo tribuuntur, in quorum examine perdocti hujus temporis Critici in tres partes distrahuntur. Alii siquidem pro antiquiorum opinione stantes prolixis dissertationibus non ita pridem in vulgus emissis acerrime defendunt, ac tuentur, haec scripta a S. Dionysio Areopagita, cujus nomine inscribuntur, fuisse profecta. Alii e diverso, omnes illas lucubrations Dionysio Areopagita plane penitusque abjudicant, ipsasque adulterinas, & tanto viro suppositas esse arbitrantur. Alii denique, ulterius progressi, non solum haec scripta Dionysio Areopagita tribui debere negant, sed etiam affirmant, ea non alium parentem habere quam Haereticum Monophysitam, seu Euthychianum, qui suae Haereseos virus in hisce Operibus effudit, sicut multis argumentis, & testimoniis ex hisce libris petitis evincere conatur doctissimus P. le Quien Ord. Praed. dissertatione, quae est ordine secunda inter alias dissertationes Damascenicis, quas praefixit recenti Editioni a se adornatae Operum S. Damasceni. Non is certe ego sum, qui tantas velim, aut possim componere lites; candide tamen dicam, non omnino certam mihi videri opinionem illorum, qui haec Opera S. Dionysio

Areopagita vindicant. At enim, si haec scripta Auctorem habent S. Dionysium, non est dubium quin propter Auctoris nomen, & res sacras, ac plane divinas, quae in eis pertractantur, fuissent semper celeberrima, & omnibus Christianis trium priorum Ecclesiae saeculorum notissima. Constat attamen ejusmodi scripta per tria priora Ecclesiae saecula nulli prorsus cognita fuisse, sed altissimo praetermissa silentio, ac densissimis tenebris consulpta. Constat etiam antiquos Patres, qui accuratissimos Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogos ediderunt, videlicet Dionysium Corinthium, Eusebium & Hieronymum, ne minimam quidem ejusmodi Operum, & epistolarum fecisse unquam mentionem. Immo anno Christi 533. quando iussu Justiniani Imperatoris collationem Severiani, seu Acephali Haeretici, Constantinopoli habuerunt cum Catholicis, & haec Pseudo-Dionysii scripta primum ad suos tutandos errores protulissent Haeretici, incunctanter responderunt Catholici, ejusmodi scripta non esse S. Dionysii Areopagita, quippe quae nec S. Athanasio, nec S. Cyrillo innotuerant. Praeterea, haec scripta, quae S. Dionysii Areopagita nomen praefert, nuncupantur Timotheo Pauli discipulo, & tamen Auctor citat cap. 4. libri *de divinis nominibus* epistolam S. Ignatii Episcopi Antiocheni ad Romanos, ejusque ipsissima verba laudat in hunc modum: *Scribit autem & Divus Ignatius: Amor meus crucifixus est.* Porro certum est, Timotheum Pauli discipulum jam mortem obiisse, quando S. Ignatius Martyr hanc ad Romanos dedit epistolam; nuncupasset igitur S. Dionysius hos libros Timotheo jam demortuo. Denique, hic Auctor, quisquis ille sit, meminit Monachorum, & usurpat voces *Ousias*, seu substantiae, & *Hypostasis*, seu Personae. Quis autem nesciat, Monachos longe tardius aetate S. Dionysii Areopagita coepisse florere in Ecclesia, maxime cum id aperte inuunt Sancti Patres Athanasius, & Hieronymus, qui Pauli & Antonii primorum Monachorum vitas descripserunt? Similiter, haec voces *Ousias*, & *Hypostasis* longe post aevum S. Dionysii in Ecclesia fuere receptae, hoc est, si Socrati fides habeatur lib. 3. Hist. Eccles. cap. 7. post Alexandrinam Synodum coactam anno 362. His, & aliis id genus momentis productis a viris eruditis, quibus nunc breviter ergo supersedeo, adducor, ut credam praedicta illa, quae circumferuntur, scripta non posse certo vindicari Sancto Dionysio Areopagita. (a)

(a) De S. Dionysio Areopagita paucis me expediam. Cum enim in hac palestra viri plures scientia validi strenue sese exercuerint, non est cur ego, nequaquam illis comparandus, immittere me audeam. In meis notatis ad Nat. Alexandrum eam quidem sententiam propugnandam suscepi, quae libros sub nomine Areopagita vulgatos neque illi abjudicat, neque asserit, sed demonstrandum suscepi argumenta omnia contra Areopagitam allata certam demonstrationem nequaquam sibi vindicare, sed posse singula probabili responsione eludi. Verum semper mihi visa sunt majoris ponderis argumenta, quae libros ad Pseudo-epigraphos rejicit.

Quae tamen suspicio in illos inducta est a P. le Quien, qui hos libros ab haeretico scriptos judicavit, egregie amovetur a P. Bernardo de Rubis in sua docta Dissert. novae Edit. S. Dionysii praemissa.

D. Perpaucis, ut video, supersunt sincera Scriptorum primi saeculi monumenta. Qua de re nudius tertius audiebam graviter conquerentem quemdam Theologum Scholasticum, qui furis in-vectus diris dovebat omnes hujus temporis Criticos, eo potissimum nomine, quod isti Aristarchi (sic eos appellabat) in Theologia Scholastica peregrini, grassentur, & arbitrato suo virgamentoriam exercent in omnia indiscriminatim Opera. Unde, prohi dolor! contigit, ut inutiles plane reddantur omnes Doctorum Scholasticorum libri, in quibus passim citantur antiquorum Patrum Opera, quae tamen juxta rigidiores istos, si superis placet, veritatis exactores, procul ad Apocryphorum classem amandari debent. Quod malum late jam serpens nequamprimum comprimitur, de Religione, & de tota Theologia Scholastica, quam unicum, ac verum Operum SS. Patrum Criterium esse dicitur, actum omnino & conclamatum esse tragica voce lamentabatur specularivus ille, & resolutivus Doctor.

M. Somnia mihi narras forte alicujus delirantis senis, suaque dumtaxat garrulitate famosi. Dicat enim, fodes, gratumne haberes, si tibi ex ipsis fontibus Antiquitatis notitiam Historiae haurire cupienti, ipse dolo malo pro legitima merce adulterinam vendiderem? si pro veritate fabulas ingererem, pro germanis veterum scriptis, supposititia, aut dubia obruderem? Si denique pro sinceris monumentis auribus tuis inculcarem Acta nescio quae spuria, vel commentitia, & quidquid Graecia mendax audet in Historiis? Nullus dubito quin hoc permoleste laturus esses. Deinde, Religio stat per sese altis defixa radicibus, nec figmentorum eget adminiculis, sed potius eruditos oculos, & introsipientium aciem amat, lucroque apponit. De illa bene meretur, non qui omnia promiscue monumenta sine ullo delectu amplectitur, eaque genuina esse pertendit, sed qui, abdicatis omnibus praedictis & maturo adhibito examine scit germana Patrum Opera ab adulterinis secernere, & quae confusis temporibus obscuritatem pariunt, suis temporibus, ac locis critices beneficio restituere; ille, inquam, bene de Religione meretur, qui opinionum commenta delet ex populorum animis, non secus ac qui inutiles falce ramos amputat, juvat arborem, nedum laedit. Caduca contra ac perniciose res est omnis falsitas, quaecumque demum illa sit. Hinc Apostolus Paulus Titum, Timotheumque tam imperse moner, ut fabulas respuant, vultque ut nihil credamus, quod non antehac lente, & accurate probaverimus: *omnia probate, quod bonum est, tenete.* Facessat igitur Doctor ille specularivus, aut si malis, resolutivus, in quem trita ista Adagia optime quadrare videntur: *Ne sutor ultra crepidam. Afrus inter simias: Sus Minervam.*

D. Revertamur, si placet, ad id unde paululum digressi sumus, videlicet ad examen Operum primi